DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS LEE,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDINBURGENÆ SOCIUS ORDINARIUS.

Cælum ipsum, sub quo degunt homines, nonnunquam ægros facit. Unicuique nimirum regioni suum inest vitium: sive calidior justo, sive frigidior fuerit, sive varia, multisque et subitis tempestatis mutationibus obnoxia.

GREG. *Conspect. Medicin.*

Die VIII ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

1814.

VIRO EXIMIO

JOANNI HAY,

EQUITI BARONETTO,

DE HAYSTON;

OMNIBUS

QUÆ GENERI HUMANO DECUS IMPERTIUNTUR

VIRTUTIBUS PRÆDITO;

CUI PUDOR,

ET JUSTITIÆ SOROR,

INCORRUPTA FIDES, NUDAQUE VERITAS,

RARO ULLUM INVENERE PAREM;

HAUD BENEFICIORUM IMMEMOR,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

HANC DISPUTATIONEM

D. D. D. QUE

ROBERTUS LEE.

VIRO ADMODUM REVERENDO

ROBERTO BALMER,

DE BERWICK,

RERUM DIVINARUM COGNITIONE ET LITERARUM DISCIPLINIS

PENITUS IMBUTO;

QUI SIBI,

PUERILE ETIAM ÆTATE,

VIAM AD SACROS LITERARUM FONTES DUCENTEM,

BENIGNE MONSTRAVIT,

SEMPERQUE UT ACCEDERET,

NEC HAUSTUS EXPALLESCERET,

ET VOCE ET EXEMPLO

HORTATUS EST,

HOCCE OPUSCULUM,

MONUMENTUM QUAMVIS FRAGILE,

OFFERT

AUCTOR.

To

William Turnbull M.D.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

AUCTORE ROBERTO LEE.

Quanquam morbus de quo nunc agitur, haud magnum periculum vitæ adducit, ob ejus tamen frequentem occursum, dolores ex eo oriundos, et tot tamque miseros ei succedentes effectus, attentionem omnis medici sibi summo jure vindicat. Hasce ob causas, meorum commentariorum pro argumento eum assumsi; et revera quamvis parum novi proferam, historia tamen, diagnosi, prognosi,

causis, atque curatione exponendis, rem haud omnino inutilem fortasse perficiam.

Cl: Sydenham, *anno* 1760, hunc morbum primus accuratè descripsit.[1] Antiquis scriptoribus enim propè ignotus videtur, cum podagra, diverso omnino morbo, magnâ ex parte confusus. Tametsi a Sydenham historia ejus eximiè scripta fuisset, medici per plurimos annos neglexerunt; neque donec Boerhaave ob summam causam, nempe quia ipse per complures menses cruciatus est, ei attentionem adhibuit, affectionem omninò sejunctam haberi incipiebat. Stahl in operibus suis memorat rheumatismum; historia autem valde incondita est, multumque diversa a narratione perspicua, sagaci, fidelique Doctoris Sydenham. Sub nostro cœlo mutabili, tam frequens occurrit, ut ejus indicia æque ac Ca-

---

[1] Sydenham, Opera, sect. xii. cap. v.

tarrhi, Pneumoniæ et Cynanches Tonsillaris dignoscantur.[1]

Nemini contra accessiones ejus securitas. Infantia tamen seniumque eo minus sæpe afficiuntur. Regiones gelidas maxime invisit, calidas raro, et ibi homines maximè a frigida vel temperata regione advectos; predispositio enim a frigore acquiritur.

Definitionem excellentem Dr Cullenus dedit, his verbis. "Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus." Ut rectè tamen morbi progressum intelligamus, arthrodyniam una cum genere Rheumatismi præcedente considerare oportet.

---

[1] Audi. prælect. Drs Gregory.

Hæc duo solitorum signorum et progressus Rheumatismi conspectum idoneum præbent, occurrentis primo morbi acuti forma, cum signis violentis inflammatoriis comitati, duabus plerumque aut tribus hebdomadibus decessuris, et postea, ubi dolor cessaverit, frigiditate, rigore, debilitate, aut paralysi artuum superveniente. Arthrodynia autem non ut stadii acuti sequela semper existimanda est. Sæpenumero enim invadit ubi pyrexia nulla adfuerat. Forma interdum Rheumatismi Chronici, vel similis affectus, iisdem partibus occurrit, a subluxatione severa musculis, tendinibus, et ligamentis irritationem violentam faciente.

Pyrexia hunc morbum comitans est semper seu fere semper duntaxat inflammatoria, non sine febris typhodis symptomatibus, sed sine ulla ad eam proclivitate. Plerumque absunt delirium, nausea, vomitus, subsultus tendinum, petechiæ, aphthæ et eruptiones miliares;

hæ quidem nonnunquam occurrunt, sed regimine calido efficiuntur, nec natura morbi ad aliqua hæc signa infausta ipsa proclivis est. Haud nescire tamen oportet aliquando Rheumatismi cum maligna febre contagiosa conjunctionem fortuitam existere, sed sine ullis quæ Synocham notant signis solitis. In aliis casibus omnem debilitatis extremæ notam, pulsum debilem celeremque, symptomata hysteriæ, et sudorem spontaneum comites habet.[1]

Pulsus frequentia in hoc morbo insignis est, plerumque supra centum, et haud raro centum triginta aut quadraginta ictus momento temporis habet; sæpe etiam sensationem fili digito imprimit, alias plenus est. Non idem ac in aliis morbis caput versus sanguinis

---

[2] Vide Reports on the Diseases in London, by Dr Willan.

fluxus est. Cephalalgiæ raro multum, plerumque nullum adest. Vultus rubere non solet, aliquando potius pallet. Delirium morbus ipse non producit. Per occasionem superveniat, forsitan autem magis medicamentis præcipue Opio adhibitis, quam morbi effectui tribueretur.

Ventriculus nausea parum afficitur, nec anorexia, et vomitus, ut in intermittentibus, et plerumque aliis morbis febrilibus, superveniunt, vis equidem concoquendi plurimis casibus haud multum imminuitur.

Alvus plerumque adstricta, præsertim ubi sudor instat. Status contrarius nonnunquam per totum morbi decursum existit. Urina multum variat, tantum equidem ut species ejus generalis non constitui possit; nunc naturalis, nunc rubra et sedimentum lateritium deponens, nunc etiam quasi filamentosa memoratur.

Sanguis in hoc morbo detractus tunicam

plerumque coriaceam densam exhibet, atque hæc fere semper dum febris durat, et aliquando diutius permanet. In chronico etiam statu tunicam coriaceam, exhibere dicitur; unde verisimile est diathesin inflammatoriam adhuc in systemate manere.

Rheumatismus præcipue majores artus, ut coxæ, genuum, humerorum, carporum, talorumque, minores autem quoque invadit. Lumbago et sciatica synocham non comitem habent. Dolores ab uno ad alium artum, musculorum planè cursum sequentes tendunt, et pressura aut motu partium multum augentur. Nulla pars musculosa externa Rheumatismo eximi videtur. Masseteres, Occipito-Frontales, musculos Deltoidos, Pectorales, et Intercostales, aggreditur, abdominales autem minus sæpe. Doctor Gregory multum dubitat an musculi interni, ut cor, diaphragma, esophagus, ventriculus, et intestina, rheumatismo affici possint; fidemque hujus tantum

hypotheticam, et reliquias veteris observationis a Stahl factæ, facile esse ab externis ad internas partes eum pellere, sed difficile reducere, se cogitare profitetur.[1]

Doctor Haygarth casus aliquos narravit, queis inflammatio rheumatica nunc ad intestina, nunc ad renes; et nunc ad pulmones translata fuisse videtur; singulis his casibus diarrhœam violentam, urinæ suppressionem, dyspnœam, aut hæmoptysin, producens.[2]

Hujus morbi symptomata semper per noctem ingravescunt. Febris interdum exacerbationes et remissiones quotidianas cum regularitate permagna habet. Quoad impetus durationem, hic fere magis quam alius morbus variatur. Nulli sunt ei dies critici, nec tempus constitutum intra quod necessario con-

---

[1] Prælect. de Medicina Practica, 1811-12.

[2] Clinical History of Diseases, &c. Proofs and Illustrations, Cases, No. 1, 75, 125, &c.

tinetur. Accessiones leves cito observatæ, et cum judicio tractatæ paucis vulgo diebus evanescunt. Accessio violenta secundæ aut tertiæ hebdomadis cursu plerumque decedit; aliquando autem dolor super motum tumorque ab una ad aliam partem per complures menses commigrare perseverarunt. In casibus protractis dolor acutus, ardor et rubor partis, cum reliquis pyrexiæ generalis symptomatibus, sensim decedunt; majorem minoremve rigoris gradum, et doloris hebetis rodentis in partibus affectis quæ nunc pallidæ, frigidæ, et sudandi vix compotes deveniunt, relinquentes. Hic status nomine Rheumatismi Chronici vulgo cognoscitur, qui nimis sæpe per menses aut annos, vel etiam per totam vitam permanebit.

CAUSÆ.

Ad hunc morbum prædispositio habitu corporis plethorico validoque, intemperantia crebra, denique quavis re ad affectiones inflammatorias generaliter prædisponente, multum augeri memoratur. Nulla tamen causa ad prædispositionem huic morbo producendam tam strenuè operatur quam, instar affectionum aliquot febrilium aliarum, accessio ejus prægrediens. Prædispositio magis minusve pollet, et diutius breviusve permanet, secundum severitatem, durationem, et curationem accessionum præeuntium; adeo ut quo sæpius insultibus recentibus prædispositio renovata sit, eo firmiores radices suas extenderit. Hic, inter multos qui proferrentur, unus effectuum est istius in systemate animali legis cujus vis et in morbidis et salutiferis actionibus tam

latè pertinet, atque per quam si ulli motus, aut motuum conjunctiones, aut sensationes cum motibus commixtæ, semel acciderint, hi omnes, post paucas repetitiones, eodem modo, ordine, et violentiæ gradu revertuntur.

Morbus ab applicatione frigoris ad corpus quocunque modo præter solitum calefactum plerumque oritur. Si corporis una pars frigori exponitur, dum reliquæ partes magis solito caleant, morbus ibi facilius quam toto corpore ad eandem temperaturam simul exposito induci reperitur. Nihil autem frigoris operationem in productione morbi magis adjuvat quam humiditas cum eo, ut in vestimentis madidis, corpori applicata.

DIAGNOSIS.

Ubi morbus in statum chronicum transit, mutatio symptomatum optime a Doctore Culleno notatur.[1] Omnes tamen qui huic morbo animum adverterunt difficile nonnunquam dictu invenerunt in quo statu revera existat.

Podagra morbus est cum quo verisimillime confundi potest, et nonnihil interest differentiam inter eos cognoscere. Rheumatismus sæpissime juvenes validosque invadit: raro per breve tempus adfuit quin complures artus simul, illosque majores affecerit; magis vicibus temperiei et humiditate aeris commutatur, et ventriculus parum afficitur. Hæc contraria podagræ eveniunt.

---

[1] Cullen's First Lines.

Cum Rheumatismus ad Lumbos contineatur, Nephritidem imitari potest; magna autem vis qua motus istum dolorem augeat, cum symptomatum nephritidem indicantium absentia, casus naturam demonstrare sufficiet. Rheumatismus, rarissime licet, musculos abdominales adoritur, et cum inflammatione peritonæi confundi potest. A peritonitide dignoscitur effectu quem corporis flexura antrorsum habet ad augendum dolorem, musculis abdominalibus tunc in actionem adductis, dum contrarius effectus, relaxatio scilicet, in musculos membranam inflammatam obtegentes, producitur, symptomatum levamine sic necessario comitatus. Sine alio signo diagnostico, modus plane differens quo corporis habitus his duabus affectionibus permovetur ne hic errare possimus vetat.

PROGNOSIS.

Parvi aut nullius ad vitam periculi, ubi partes musculosas tantum artusque aggreditur morbus est; aliquando autem, etsi perraro, et ob metastasin necne haud refert comperire, invasisse cor, diaphragma et alià vitæ prorsus inservientia organa memoratur. Morbus tum periculosissimus devenit, et ægrum perbrevi interimat. Hæc inflammationis Rheumaticæ ab externis ad internas partes translatio profecto occurrere potest; tam rarissime autem accidit ut vix in prognosin capiatur. Inflammatio forsan magis naturæ podagræ quam Rheumatismi puri particeps sit. In fortuitis conjunctionibus Rheumatismi cum febre maligna contagiosa, periculum ejus certe multum augetur; inflammatio enim topica ad systema irritandum, et signa omnia ingraves-

cenda magnopere pertineat. Bona indicia sunt dolores sedi suæ inhærentes mitesque, cum eorum et febris remissione aliqua; diaphoresis calida generalis, e naribus aut aliis partibus hæmorrhagia.

CURATIO.

Divisio licet morbi in duas species Acutum et Chronicum, vel rheumatismum cum et sine pyrexia, a natura originem ducat, et in descriptione supra data observetur, non tamen optima ad curationem rectè persequendam mihi videtur. Doctor Duncan prælectionibus suis clinicis, novam, et ut mihi apparet, solertissimam hujus rei divisionem proposuit, cujus supra alteram excellentia optimè in morbo tractando elucet. Sine equidem distinctionibus quas ille proposuit observatis, praxin va-

gam, et sæpe pro utili valde nocivam esse oportet.

Nullo morbo major de remediis maxime ad medelam idoneis dubitatio quam in Rheumatismo acuto prevaluit. Missio sanguinis generalis, opium, sudorifica, et recenter Cinchona Officinalis, omnia ut medicamenta queis confideremus collaudata sunt. Manifestum est omnia hæc non cum bona spe ad easdem indicationes implendas adhiberi posse; natura enim tam contraria sunt, et quædam equidem eorum, dum actio inflammatoria violenta permanet, non a nocendo abesse possunt. Unica via qua narrationes medicorum de hac re adversas reconciliemus, est existimando hæc remedia in conditionibus multum diversis systematis adhibita fuisse, cum symptomata tamen adeo similia essent ut pro eisdem haberentur.

A Doctore Duncan in stadia sequentia dis-

tinguitur. Rheumatismum inflammatorium, præsentia febris, caloris, tumoris, ruboris, manifesti dignotum; Irritabilem acuto dolore, et ardore, sed febre et tumore minoribus, discretum. Atonicum, obtuso dolore per calorem diminuto; postremo, paralyticum debilitate et tabe artuum, denotatum.

Progrediar ergo ad principia a Doctore Duncan proposita, et quibus ratio medendi ad unamquamque speciem fructu cum optimo administretur, commemoranda; in singulis enim earum a reliquis differt: Primum ergo spectemus status inflammationis curationem. Duæ hic indicationes sese ostendunt; inflammatio topica, et pyrexia generalis. Posterior harum sæpe sequela tantum prioris, aut illius systematis conditionis cum qua inflammatio topica accidit, existit. Hinc præcipuè inflammatione topica amovenda, actione vasorum, et sanguinis per systema impetu generaliter minu-

endis, ei obviam iretur. Ad hoc remediis antiphlogisticis potentissimis, præcipue generali et topica venæsectione, opus est. Interdum una missio sanguinis larga vim morbi adimit, et medelam perfectam efficere videtur. Aliquando autem tres aut quatuor detractiones ad inflammationem generalem et topicam subigendam requiruntur. Sanguinis missionem robore et frequentia pulsus, cutis calore, et inflammationis localis violentia, dirigi oportet. In casibus nonnullis, morbus venesectione sola, idque tempore perbrevi, pellitur; et ubi hoc penitus non fit, levamen tamen maximum percipi solet. Periculum autem instat ne hoc remedium nimis urgeamus, et sic maximam debilitatem inducamus; subita quoque depletio proclivitatem habitus corporis plethoricam augendo ad futuras morbi accessiones prædispositionem firmat. Liber scalpelli usus etiam revera sæpe nocuit, tametsi

quidem febrem amoveat generalem; nec ubi ad vires ultimas ægri perlatus morbo superando semper suffecit. Remedium igitur cum summa cautione adhibendum est, et minime usurpandum tam longè quam in inflammatione organi alicujus vitalis, ut ventriculi, pulmonum, et cerebri; ibi enim æger certè moriretur nisi quantitates sanguinis largæ forent detractæ. Missio sanguinis topica cum hirudinibus aut cucurbitulis cruentis quoque usurpanda est; his præsertim casibus ubi dolores coxæ artus infestarunt.

Hic etiam sudorificorum usus prodest, ita ut copiosam et diuturnam evacuationem excitent adhibitorum, rationibusque potentibus supra dictis prægressis. Sudorem excitandi conatus nunquam fieri debet, donec pulsus robore et frequentia multum infra quod in hoc morbo solet reductus sit. Huic usui Pulv. Ipecac. et Opii optime inservit. Sex grana adhibeantur et singulis tribus aut quatuor

horis, usque ad sudorem erumpentem, repetantur. Si recte administretur, sudor per complures dies extare fiat, dum equidem effectum desideratum consequamur. Ubi sudor per cutem prorumpit, usus moderatus diluentium permittatur, sed antehac a liquidis compotandis abstineri oportet. Acetis Ammoniæ, vel Spiritus Mindereri, nonnunquam in hoc morbo ad sudorem copiosum excitandum quoque usurpatur. In memoria tamen servaretur sudorificorum æque ac venæsectionis exhibitionem cum incommodis quibusdam gravibus stipari; et cum pyrexiam et inflammationem topicam auferre succedit, sæpe ægros plurimum debilitare, ad frigoris impressiones susceptibilitatem impertiri; et accessionibus redituris obnoxios reddere. Morbus ideo severè nonnunquam recidivus devenit, diuque forma chronica violentissima extitit.

Casibus plerisque, a catharticis refrigeranti-

bus et regimine antiphlogistico beneficium habeatur. Morbum his solis curare olim tentatum fuit, nunc autem reperitur hæc, licet utilia, nunquam posse venæsectionis usum supervacaneum reddere.

Cinchona officinalis medico claro nuper laudata fuit, Rheumatismi etiam statu inflammatorio; et si hæc ratio medendi æque cum aliis succederet ac cum illo memoratur, dubitatio de ista quæ præferretur ratione existere haud posset. Doctor Haygarth primum vel Antim: Tartar: vel Pulv: Antimon: donec ventriculus et alvus satis vacuarentur adhibuit, et sine evacuationem ulteriorem, aut pyrexiæ inflammationisve diminutionem expectando, Cinchona dabatur, in dosibus primo parvis, sin hæ parum succederent, paulatim majoribus, si autem cinchona nauseam produceret, aut levamen non præberet, suspendebatur, antimoniumque, usque ad evacuationes sufficientes productas, iterabat. Cin-

chona iterum eadem qua primo ratione exhibetur parcè imprimis, dein liberius; nunquam autem diutius, aut in majore quam ægri ventriculo, pyrexiæ, et inflammationi rheumaticæ convenit, quantitate continuatur. Hæc ratio medendi cunctis de hujus morbi natura opinionibus habitis adeo adversatur, et ita in casibus communibus ad removendum insufficiens est, ut statum inflammationis prætериisse existimandum sit, istumque a Doctore Duncan sub rheumatismi irritabilis nomine descriptum fuisse subsecutum.

Irritabilitatis, ut priore, statu dolor a conditione nervorum propria oritur, et hac simul cum proclivitate ad inflammationis renovationem, applicatis causis levissimis, ut frigore, cum corpus nimis calefiat, comitata. In hoc statu tres indicationes queis attendamus principes sunt, proclivitatem ad actionem in vasis auctam amovere, causarum sensationes molestas excitantium actionem prohibere; et

vim harum causarum in partes inflammatas diminuere.

Harum indicationum prima ut pars medelæ difficillima cogitanda est; morbus enim hoc statu valde pertinax est, et frigori expositione minima ad recurrendum proclivis. Variæ res in implenda ea requiruntur; ut conditionem vis nervosæ apud partem affectam mutare, producendo et sustentando fluidorum a morbidis ad sanas partes determinationem, et sensibilitatis morbidæ effectibus obviam eundo. Evacuantibus quibusdam hæ res efficiantur, neque autem sanguinis missionem, nec sudorifica potentia priori speciei idonea requirunt. Tantum abest hic status harum rationum indigendo ut evacuationibus talibus ei noceatur; imo persæpe inducitur ubi ad symptomatibus stadii inflammatorii obviam eundem istæ nimium adhibentur. Diaphoretica permanentem et regularem, potius quam profusam evacuationem, suppeditantia

multum sæpe prosunt, et frequenter sanguinis missione topica, alioque evacuantium, nempe vesicatoriis, genere, beneficium oritur. Applicationes stimulantes et sedativæ utiles sunt, et internè externeque adhiberi debent. In hoc quoque stadio prosunt Hydrargyrus: Opium, Guaiacum, Hyoscyamus, et Cicuta. Præter hæc medicamenta internè data, applicationes externas, præcipue stimulantes, ut Oleum Ammoniat: Tinct. Sapon. cum Opio adhiberi oportet.

His rationibus cum judicio usurpatis, effectui sensibilitatis morbidæ obviam itur, ipsaque penitus amovetur. Hæc forma morbi valde ut recidiva fiat proclivis est; omniumque rationum ad hoc prohibendum, Cinchona Officinalis, si ut primum remissio modis supra dictis producitur adhibeatur, optima est.

Atoniæ statu negotium magnum est vigorem debitum partibus affectis restituere; nunc enim fere in eodem statu ac post luxationem

severam sunt, et molestia magna nisu minimo producitur. Affectio morbida repugnanda fibrarum præcipue moventium est, maximèque interest harum tonum augere; atque hoc statum solidorum simplicium mutando optime efficitur. Hic ut in irritabili statu ad Cinchonam confugiendum. Balneum frigidum commodè usurpetur, in aliis quibusdam statibus licet malum producat. Sic in irritabili statum precedentem sæpe reproduxit, etiamque in contraria partium conditione malefaciat, nimis enim corpus refrigerando paralysin inducere potest; cum prudentia tamen adhibitum sæpe multum profuit. Hic quoque applicationes externæ, ut epispastica, fasciæ et reliqua hujusmodi remedia quæ mechanicè in partes operantur, utiles existunt. Frictiones cum stimulantibus, ut Oleo Terebinthinæ, Tinct: Cantharidum, Tinct: Sapon: cum Opio et Tinct: Camphoræ, multum benefaciunt.

Paralysis difficillima repugnatu, et frequenter forma vel potius sequela morbi insanabilis, cogitanda est. Feliciter hic rheumatismi modus reliquis multo rarius occurrit; et ubi supervenit, remedia adhuc nonnulla sunt quæ non prorsus sine spe successus adhibeantur. Negotium princeps est conditionem veram vis nervosæ in parte affecta restituere, et hoc tentare oportet conando excitationem generalem vis nervosæ per systema augere, stimulatisque, in parte præsertim affecta, nervorum extremitatibus sentientibus. Circulatio sanguinis libera quoque per partem affectam producenda est; remotis nempe ad transitum per vasa obstructionibus, ipsorum etiam actione augenda,—hæc enim morbide minuitur, frigiditate et marcore membrorum, perspirationisque absentia, indicata. Hic autem status paralyticus sæpe cum morbis artuum localibus complicatur. Motu diu inusitato, rigiditas membranis et ligamentis inducitur, quorum

hinc potestas movendi cohibetur. Artuum motus quoque, figura ossium mutata, artubusque amplificatis et distortis, impeditur; atque hic sanatio raro expectari potest, ossa enim ad statum naturalem haud restituere possumus. Ad rigiditatem membranarum et capsularium ligamentorum artuum amovendam, balneum tepidum, electricitatem, frictiones cum Hydrargyro et remedia hujusmodi, adhibere oportet.